QUÆDAM DE VARIOLIS DISSERTATIO INAUGURALIS PROPONIT...

Camillo Bisaglia

QUAEDAM

DE VARIOLIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN ANTIQUISSIMO AC CELEBERRIMO

C. R. ARCHYGIMNASIO PATAVINO

AD

Medicinae Lauream Assequendam

Publice Proponit

CAMILLUS BISAGLIA

De Beatrix Provincia Polypinensi

PATAVII

TYPIS CARTALLIER

M. DCCC. XXXVI

JOSEPHO DOCTORI BARONI VIRO BENEFICENTISSIMO

ET IN BOARIAE RURIS ADMINISTRATIONE

JANDIU PRIMO

Est hoc in more positum, ut qui Doctoris Laurea decorandi sunt, dissertationem quamdam de iis, in quibus versati sunt, in lucem edant. Cogitanti mihi, quid, inter tot Medicae Artis argumenta, pertractare possem, de Variolis nonnulla disserere statui, quippequi video fatalem morbum recrudescere, et vim pristinam in dies aquirere. Si vero ea quae breviter dicturus, pro mei ingenii tenuitate perbene exposita non erunt,

10ᵃ

veniam peto, « fieri enim potest, ut ait » Cicero, ut recte quis sentiat, et id » quod sentit, polite eloqui non possit » (Cic. Tuscul.) » Insuper in hanc messem falcem immissi eo consilio et spe, ut si doctissimi homines hac in re profuerunt civibus suis, prosim etiam, si possum, et ego. Quoniam vero ea, quae aliis sunt profutura, tibi Optime Vir, quam maxime accepta sunt, ita confido, ut hoc, quod mea attuli industria, ad humanitatis, si fieri potest, solatium, gratum sit tibi, cui illud Poetae convenit

« *Miseris succurrere disco* »

quique, dum Variolae nonnullas nostrae Ruris domos invasissent, tuo consilio et sumptibus factum est, ut principiis ob-

staretur, ne dolendum esset sero medicinam parasse. Qui igitur salutem publicam tam sollicite curas, tuam quoque fac ut cures. Vale.

Camillus Bisaglia

Quod erat optandum maxime, id mihi hacce die datum est,ut ante conspectum vestrum, Professores ornatissimi et doctissimi, et in tam spectabili Auditorum frequentia, Doctorali Laurea honestandus, prodirem. Nam quoad longissime potest mea mens respicere spatium praeteriti temporis, et adolescentiae memoriam recordari, inde usque repetens, vos video mihi Principes ad suscipiendam rationem studiorum meorum extitisse. Quidquid igitur in me ingenii est, quod sentio quam sit exiguum, aut si ratio aliqua a medicae artis studio profecta, harum rerum omnium jure ac merito a Vobis fructum repetere debeo. Quapropter beneficia vestra colam benevolentia sempiterna, idque semper praestabo, ut grati animi significatio numquam sit defutura.

Et quoniam est in more positum, et decet, ut Medicus, de iis, quae sibi propius spectant, disserat: ita inter morbos, quibus misere obnoxii sumus, illum praecipue investigandum curavi, qui sensim ac pedentim primaevam vim acquirere, et longius quam putamus serpere, videtur.

De Variolis naturalibus sermonem habebo, et ejusdem originem, characterem, progressum, sequelas, modificationem in medio ponam: jennerianae insuper inventionis ejusdemque utilitatem commemorabo, quasdam Variolarum epidemias percurram, tandem id quod ad vim morbi, sin minus comprimendam omnino, maxime saltem leniendam, aliorum fulcitus Auctoritate, consentaneum puto, vestro judicio committam.

Nec putetis, me, aut nova proponere, aut quae ab aliis exarata sunt praetermittere velle; quin in animo habui quidquid de hac re pertratactum fuit, certo quodam ordine disponere, et in suas partes distribuere, ut saltem morbi historia juvenibus possit prodesse. Quod si ea, quae dicturus sum, vestra sapientia et auctoritate minus digna videbuntur, confido fore, ut in bonam partem id accepturi sitis, dummodo cogitetis non aliam ob causam me id fecisse, quam ut infirmorum utilitati, quod Medicorum esse debet, pro viribus, consulerem.

Et in primis quoniam de nomine, quod proprie convenit huic eruptioni cutaneae nihil nec ab antiquis, nec a nuperibus Medicis definitum fuit, nihil ego quoque dicam: repetam tamen quod unus Vanswieten de Variolis ait « novum » hoc nomen apud Medicos recentiores occurrit, » diminutivum nempe a Varis, apud Celsum sic » vocatis pustulis faciei, quas adeo parvi momenti

» esse credidit, ut coram Varorum fere inter ineptias reposuerit: unde facile patet nullam omnino similitudinem inter Varos et Variolas praeter quam nominis solius inveniri. »

De morbi origine non satis est exploratum: alii Galeno, Hippocrati, Aetio notum fuisse affirmant; negant alii. Primis adhaeret De-Haen, asserens illos de hac re sermonem fecisse. Warlop contra asserit, illos de morbo quidem exanthematico cognitos fuisse, et peculiari Variolis simillimo; Variolarum tamen nomen deficere: ex quibus dici potest, morbum istum illis minime innotuisse.

De hac quaestione, recte an secus, nihil ad nos, aut si ad nos nihil, ad hoc tempus. Illud solummodo dicam quod Rhazes medicus Arabiae, saeculo nono, primus de hoc morbo loquutus est, et omnes conveniunt Variolas sexto circiter saeculo una cum Arabis in Aegyptum permeasse, iisdemque victoribus, sub Imperio *Califi Omer* in Syriam, Palaestinam, Persiam, et Africae oras, tandem anno 1090 in Hispaniam irruisse, unde Europa universa simili contagio affecta est.

Plerique scriptores in eo toti fuerunt, ut hujus morbi principium, phaenomena quae eum comitantur, aetatem quam saepe sollicitant, et alia multa recenserent.

Breviter ipse dicam, Variolas a miasmate quodam contagioso sui generis originem ducere,

quod nempe febrem primitus excitat, et fere semper quarto die papulae rubicundae hinc inde efflorescunt, quae deinceps in pustulas, et tandem, post dies octo, in ichorem commutantur: postea pustulae arescunt, et corticis ad instar avelluntur. Haec sunt, quae de morbo generatim dici possunt. Medici vero usu et experientia edocti Variolas dividunt in *discretas* et *confluentes*, quas Burserio placuit iterum in *benignas* et *malignas* dividere.

In Variolis discretis febris eruptiva, uti ajunt, moderata est, frigore primum, deinde calore comitante, eademque secundo, et tertio die crescit, ad quintum discessura. Eruptio primitus in vultu, postea in inferioribus corporis partibus, et tandem die quinta per totum corpus diffunditur. Papulae generatim non frequentes vultum commaculant, et si frequentes, ita tamen ut una ab alia aliquo intervallo secerni possit. In quinta sive sexta die, in cujuslibet pustulae vertice vescicula apparet, quae spatio dierum duorum in latitudinem crescit, cavum quoddam in medio praeseferens. Heae vesciculae nono die sphaericam figuram assumunt, et in pustulas cavas mutantur, margine inflammante circumfusas rosei coloris. Si pustulae in vultu multiplices sunt, tunc facies, nec non manus, pedes, et palpebrae tumescunt, ut oculorum usum impediant. Morbo sic progrediente, materia in pustulis retenta,

sensim opacitatem, albedinem postea, flavum deinde colorem aquirit. Eodem die vultus tumefactio decrescit, et tum pustulae ad satietatem plenae sunt, et in cujusque vertice macula nigri coloris apparet, quae ipso, aut serius undecimo die sponte aperitur, et puris partem emittit; inde corrugatur et complanatur, et pus in superficie exsicatur unde eschara fit, quae aliquot post dies cadit, cutem in superficie relinquens rubicundam. Quod de vultu, id de caeteris partibus dicendum est, nisi tamen pus absorbeatur, ita ut papulae vesciculis vacuis comparari possint.

Si pustulae, quae vultum foedant multiplices sunt, tunc undecimo, vel duodecimo die febris excitatur, quae pustulis maturatis evanescit, aut moderate, iisdem declinantibus, decrescit. Illud etiam moneho, quod si eruptio vultus copiosissima sit, tunc sexto aut septimo die gula affligitur sensatione quadam, quae ciborum deglutitionem difficillimam quandoque reddit, quaeque pari passu cum vultus tumefactione discedit.

Quae hactenus de Variolis discretis dixi, haec generatim et de confluentibus affirmari possunt. Illud vero est animadvertendum phaenomena confluentium magis esse violenta, et in plerisque differre. Febris praesertim eruptiva majorem vim explicat, et sopore quodam, imo et delirio, et vomitu comitatur morbo praecipue ingravescente. Eruptio celerior, et papulae in vultu ma-

gis abundant, si quidem parvae et minus eminentes. Febris eruptione completa decrescit, non tamen evanescit, sed quinta aut sexta die primaevam vim aquirit, et constanter totius morbi cursu perseverat. Vesiculae in summitate papularum citius apparent, et irregulariter expanduntur, ita ut absque intervallo pustulae vultum foedent, et fluor qui in ipsis continetur fluidum nempe opacum aut nigrum, numquam vero flavescentem exhibeant. Tandem vesiculae exciduntur, corrugantur, et escharae fiunt nigri coloris, quae plures post dies cadunt, ac tali modo cutem relinquunt, ut cavum illud, quod post morbum deprehenditur, efficiant.

Sed ne vos nimis fastidiam ea quae ad singula ut peculiaria symptomata pertinent, praetermittam, quippequae omnibus fere innotescunt: praecipua tamen enumerare operae praetium fuit, ut quae ab initio proposui, quodam ordine persolverem.

Ex iis, quae diximus satis constat, Variolas discretas nunquam per se periculosas esse, confluentes vero nunquam carere periculo; idque ex variis adjunctis, et varia aegrorum dispositione coalescere.

Venio nunc ad ea quae variolarum sequelae, sive reliquiae appellantur.

Vestra certe patientia abuti viderer Professores Ornatissimi, si mala a Variolis orta, cele-

berrimorum scriptorum testimonio fretus, vellem enumerare. Ommittam epidemias, eas praecipue, quae ex se, et natura sua mortem attulerunt: dicam solummodo Medicos omnes in eo esse, ut affirment, magnam hominum partem a Variolis fuisse sublatam, et quindecim milliones viginti quinque annorum spatio in sola Europa obiisse, ratione habita decem ad centum; dummodo juxta Jurini observationes Europa centum et quinquaginta millionibus constet. In Anglia decem sexdecim et viginti ad centum a Variolis necabantur, in America vero usque ad quadraginta ad centum mortuorum numerus quandoque perveniebat. Quamplures eadem affirmant, et testautur in variis epidemiis maximam hominum multitudinem fuisse peremptam. Tissot tandem narrat, Variolas Romae sex mensium curriculo sex hominum millia e vita abstulisse; et alio loco easdem inter morbos humano generi infestissimos ponit, clareque demonstrat, Epidemiis malignis cum benignis comparatis, septimam aegrorum partem ex agressis diem obiisse supremum.

Nec praetermittam Variolarum, quasi dixerim reliquias, quae ad mortem usque perseverabant, sin minus mortem ipsam alio modo solicitabant. Vos testes voco ab insanabili suppuratione, ab ossium carie, a tussi in phthisi varia commutata, a lentis febribus usque ab tumulum laborantes. Et alios videre videor, quibus satius fuisset emori,

oculis orbatos, alios cruribus distortis, et alios aliis infirmitatibus foedatos, ita ut in publicum prodire aut nequeant, aut verecundentur. Quid vero vos commemorem o pueri, innuptaeque puellae brevi dierum spatio expolitae vestra pulchritudine, quae tantam virtuti addebat gratiam, uti Poetae placuit

Gratior, et pulchro veniens in corpore virtus.

Accedit eodem, Variolas omnem aetatem ac sexum prorsus afficere, immo dicam cum Vanswieten; « nemo certe hunc morbum non expertus, blandiri sibi poterit, quod ad ultimum » vitae terminum a Variolis immunis mensurus » sit, ne quidem illi, qui saepius contagio varioloso expositi fuerunt absque ulla noxa. »

Et alio loco ad veritatem confirmandam neque tantum morbus ille ab ipsa nativitate ad seram usque in ultimo senio mortem metuendus est, verum etiam latentem adhuc in utero materno foetum aggreditur quandoque, et ante diem humanas calamitates ferre cogit. *Bartholinus* (Epist. Med. Cent. 2. pag. 68) oculatus testis affirmat, pauperculam mulierem, variolis correptam, edidisse foetum, cujus tenerum corpus aeque multis, ac maternum, variolis obsitum erat, et qui paulo post nativitatem mortuus est, matre adhuc per triduum superstite, tumque pariter vi morbi succumbente. In hoc casu videtur mater cum foetu eodem tempore infecta fuisse: verum et con-

tigit alius casus, qui docet prius matrem, et postea foetum hoc morbo laborasse. Gravidae enim mulieri, quae a mitibus et non adeo numerosis variolis feliciter convaluerat, dabatur lene purgans, quod cum effectu careret, post biduum dabatur alterum, quod semel aut bis tantum alvum movebat: hinc post biduum validum catharticum sumpsit, adeo infausto cum eventu, ut non tantum convulsiones sequerentur, verum etiam quinque post dies mortam puellam pareret, boni quidem habitus, sed cujus totum corpus variolis pure maturo plenis obsitum erat: (Philosoph. Transact. abridg. d. tom. 5. pag. 508). Cum tantum intra matrem et foetum commercium sit, non adeo mirum videbitur a matre foetum infici, hoc potius mirum apparet, quod non statim cum matre inficiatur, sed, illa jam morbo feliciter defuncta, incipiat eodem laborare.

Et idem Sydenhamius de Variolis dixit: « ne» mini parcunt cujuscumque demum aetatis is » fuerit, nisi prius hoc morbo laboraverit. »

Illud etiam inter Medicos disputatum fuit, utrum quisque pluries a Variolis infici possit. Quamvis varia sit in hac re Medicorum sententia, placet nunc celeberrimi Mead, Angliae Medici annosae aetatis, ipsissima verba referre. « Ne» mo igitur mortalium quemquam hoc periculum » bis unquam subire posse, vel minimam suspicio» nem fovere debet. » Et alibi statuit « experientia

» compertum esse, nunquam iterum reverti posse » variolas. » Alio loco videbimus quod recentiores observationes huic sententiae adversantur. Tandem cum hac in re optime merito Vanswieten, concludam, hunc morbum, generatim loquendo, verno tempore incipere, aestivo crescere, autumnali tandem declinare, in hyeme discessurum, ut eodem fere ordine vere sequenti redeat, ita tamen ut, quo citius in hyeme, eo violentior, quo serius, eo mitior. Et in eo satis conveniunt practicorum sententiae, quod nempe Vernum et Autumnale tempus magis faveat hoc morbo decumbentibus, tam ob majorem aëris temperiem, quam etiam, qui solet mitior esse morbus tempore verno et autumnali, plerumque incipit remittere ab illa ferocia, quae aestivis mensibus saevire solet.

Videtur etiam ut plurimum hyems praeferenda esse aestati quia foco instructo satis commode lenire possumus acre etiam frigus: aestivos autem calores difficilius moderari licet, saltem apud vilioris sortis homines, qui saepe cum numerosa prole angustas incolunt sedes, et fervidis aestatis caloribus vix non suffocantur etiam sani. Praeterea primo anno major morti vis; sequentibus annis minor: in initio autem constitutionis Epidemicae Variolosae fere infantes et juniores tantum afficiebant circa finem aestatis etiam adultes, immo et senes. Asserit demum Sydenhamius post

summam siccitatem veris et aestatis, ita ut ubique locorum omnis ferme exaruisset, omnium pessimas ortas fuisse Variolas, et sevissimis stipatas symptomatibus.

Ast dum Variolae catervatim dabant stragem, et aggerabant turpi dilapsa cadavera tabo, dum plerique ex iis qui mortem evaserant talibus vexabantur aegrimoniis, ut quisquis possit dicere:

Nec mihi mors gravis est, posituro morte dolore.

humano seu potius divino consilio factum est ut Variolarum naturalium inoculatio prodiret, de cujus initio non satis constat, et Arabiae Medicis forsitan est tribuenda.

In regionibus Mari Caspio propinquis inoculandi usus jandiu vigebat, et praeaertim in Circassia, et omnes in eo consentiunt, quod in Indostan inoculatio ipsa Aera Christiana antiquior sit, dum septimo quolibet anno solemniter et magna religionis pompa ibidem exequebatur. Odoardus Jures Angliae Chirurgus, dum Bengalae diutius moraretur asserit, inoculationem in Indostan prae caeteris Indiae locis usitatam fuisse. Centum et quinquaginta ab hinc annis mulier Circassa prima fuit, quae inoculationi dedit operam Byranhio, in primis hyemali tempore, forte quia tum Pestis adeo frequens ibi ailere solet Illico apud Christianos, Graecos, Armenosque in praetio habita fuit, secus vero apud Maomettanos, qui, stulta quaedam de fato opinantes,

nefas esse putabant in morbis remedia quaerere, perinde ac si divinae, impio quodam ausu obsistendum esset voluntati.

Sed cum inoculationis virtutem exitus probasset, Musulmani vana potius religionis commenta discrere, quam vitam perdere statuerunt, eorumque exemplum et ii, qui barbaricas oras incolunt, absque ullo conscientiae stimulo sunt imitati.

Timonius et Pillarinus Italiae Medici frequenter certiores facti de inoculationis virtute, ejusdemque effectibus per mulierem Circassam, hunc usum adprobarunt, eorumque scripta per Europam divulgantes, brevi factum est, ut inoculatio apud omnes magni facta fuerit. Anno 1718 ejusdem experimenta Angliae peracta fuerunt, dum Milady Montagu, una cum sponso qui Bizanthii legationem compleverat, redeunte inoculationi jam proprio filio subjecto prospero eventu,eamdem sortem et filiae acquisivit opeMaiflad, qui Londini inter celeberrimos Chirurgos habebatur. Hinc cito per totam Insulam inoculatio est diffusa. Et sane congruum erat, ne diutius lateret investigatio, quae tantam reparabat calamitatem. Sed quemadmodum saepe usu venit, ut plerique ea, quae a majoribus traduntur religiosae colant, et ea quae nuper excogitata sunt, aut livore aut ignorantia despiciant, ita non in Germania solum, sed et in Gallian nonnulli fuere, qui inoculationem veluti deliramenta praedicarunt,

immo in Gallia eo dementiae pervenerunt, ut remedium, omnium suffragiis comprobandum, veluti nefariam quamdam novitatem, avertendum esse declararent. Medici enim cum cognoscerent in tam simplici operatione nullum sibi livori aditum patere, una cum Theologis conjurationem quamdam, collatis in unum consiliis, instituerunt, et in multis Regni Universitatibus illud veluti axioma pervulgarunt; *ergo variolarum inoculatio nefas.* Proh! quantum caliginis improvidas hominum mentes afficit! ut saepe loco contumeliae et maledicti ponant quod summis laudibus esset celebrandum. Sed veluti sol, qui nubes immensa sui caloris vi fugat et dissipat, ita veritas errores: Factum igitur est, labente cursu temporis, ut celeberrimus *de la Condamine* qui inoculationis apostolus jure potest vocari, ignorantiae tenebras dissiparet, et inoculationem contra Variolas maximum esse remedium persuaderet.

Italia quoque octoginta circiter ab hinc annis inoculationem amplexa est, et in Tuscia primitus optimo eventu, postea in alias civitates diffusa est. Attamen dum Medici sapientissimi, experientia edocti, inoculationem et saluberrimos ejusdem fructus, non solum voce, verum et scriptis celebrarent, factum est, ut nonnulli inoculationem flocci faciendam esse, nescio qua mentis caecitate, affirmarent. Et sane incredibile dictu

est quod, inoculationis virtute tam clare et evidenter cognita, ii qui publicam rem administrabant, publica etiam auctoritate et totis viribus difundere ad humanitate sublevandam non sint conati, Francorum, Anglorum, Germanorum et Bataviensium exempla secuti, qui publica Nosocomia ad inoculationem peragendam erigere statuerunt. Quid! quod in Holmia ad inoculationis honorem numisma cuderunt ubi, hinc Esculapii Ara et Serpentes quidam malefices, Variolas experimens figurabatur hisce verbis *Sublato jure nocendi*, et inde *Ob infantes civium felici ausu servatos.*

Sed jam tempus est, ut ad ea, quaa secundo loco pertractanda mihi proposui, deveniam et iterum vestram hnmanitatem ac benevolentiam Prof. ornatissimi implorem, dum de iis, quae ad Vaccinae inoculationem spectant disserare suscipio.

Quamvis ab hominum memoria nonnulli ex villicis Occidentalium Angliae regionum, et praecipue Glocester agnoscerent morbum epizooticum vulgo *cow-pox* idest Variolam Vaccinam, sive Vaccinum exanthema, quia Vaccis pertinebat, attamen Odoardus Jenner Celeberrimus Angliae Medicus, primus fuit, qui novit hanc adfectionem frequenter a Vaccis ad illos qui eas emungunt permeare, nec non a Variolis costanter praeservare: hinc factum est ut die vigesima prima Junii anni 1798 hanc saluberrimam inventionem

Londini pubblicaret, suaeque Dissertationi nomen daret *de Causis et Effectibus Variolae Vaccinae* etc. In hac dissertatione Auctor nonnulla praemittit de morbo quodam cui Equii abnoxii sunt, et *the Grease* ab Anglis, *Giorda* o *Gioardoni* ab Italis, *Jovart* a Gallis appellatur: ex quo planta pedis equi inflammatur, finditur, et tandem materia quaedam sui generis scaturit, quae humanum corpus quodam morbo afficit Variolis infantium simillimo: ex quo Jenner non dubitavit affirmare Variolas ab hoc morbo originem habuisse. Illud etiam in posterum declaravit: in Comitatu Glocester multas Vaccas haberi, quae indistincte a mulieribus, et a pueris vaccarum custodibus emungebantur; et persaepe hoc accidere, ut si quis puer pedem equi a morbo praedicto affecti tetigisset, et deinde vaccam emunsisset manu contaminata, tunc morbus ab homine ad vaccas, et a vaccis ad homines transire consueverat, et plerumque per totum rus disseminabatur. Inter alia, illud etiam prae oculis habuit, ut si aliquis a Variola vaccina inficiebatur, non poterat hinc infici a Variolis naturalibus, sive effluviis variolosis se se exponeret, sive inoculationem ejusmodi Veneni subiret.

De Jenneriana opinione, scilicet si Vaccina a Giardonibus equorum repetenda sit an non, digladientur alii. Non ignoramus doctissimos Angliae Medicos ipsam confutasse, et accuratissi-

mum Sacco totum in eo fuisse, ut in Vaccis pustulam nempe Vaccinam pure a Giardonibus sublato evolveret, sed frustra. Sileam etiam Jennerianam patefactionem inter varias hominum et mentium difficultates, tamquam e scruposia cotibus enarigasse: ejusdem utilitate tandem detecta et apportata eo pervenissent ut in Anglia Institutum Inoculationis Vaccinae publica providentia fundaretur.

Tanti beneficii fama non in Anglia solum, sed et ad exteras nationes percrebuit. Apud Germanos tanto fuit favore recepta, ut Salisburgi effemerides die 23 Maji anno 1799 annunciarent, Medicos Viennenses duos Jennerianam inventum investigare cupientes, cum filos veneno Vaccino imbutos accepissent, prima in propriis filiis experimenta instituere minime dubitarunt. In Galliam deinceps tantae rei cognitio manavit, ubi illa tum Respublica in variis Regni civitatibus et ruribus experimenta repetenda esse jussit. *Lemani* Provincia, super omnes, eminuit experimentis. Anno eodem declinante Italia quoque rem tantam novit, et jam meritissimus Sacco Medicus Mediolanensis inventus novitate perculsus aliorum experimenta ipse quoque instituere, jamdiu exoptabat.

Cum vero difficillimum esset ab Anglia pus recipere, fortuito accidit, ut dum in Suburbano Varrensi rusticaretur, plurimas Helvetiae Vaccas

attenta consideratione perscrutaret, illasque cognosceret ess nempe Vaccas Variolis Vaccinis obnoxias esse. Experimentis pluries et accurate repetitis, certior factus est, Vaccas eas Variolam Vaccinam possidere, quippe quas notas omnes, quas Jeuner significavit, evidentissime praeseferrent. Anno millesimo octingentesimo, primis Octobris diebus in citato Varrensi et Mediolani die octava Decembris ejusdem anni inoculationi operam dedit; et Doctor Alexander Moreschi primus omnium inoculationem Venetiis in filio cujusdam Albrizzi Josephi viri summa nobilitate praediti expertus est anno eodem die 19 Decembris, et eodem modo quo Medici Viannenses, de quibus supradiximus.

Jennerianae patefactionis aetatem statuimus, et de primis inoculationibus tam in Germania, quam in Italia peractis dicimus satis, ideoque supervacaneum putamus et Medicorum et Regum curam commemorare, ut tam salubre remedium apud omnes diffunderetur. Satis erit dicere nunc quoque Vindobonae De-Cani et Caren nomina celebrari, quorum primus in Continente prima assumpsit experimenta, quibus inde in Hannover, Amburgo, Lutetiis Parisiorum, Brün, Breslavia, in Hispania, in Portugallia, in Suetia etc., et tandem in Americae civitatibus ut in Bombay, in Philadelphia opus datum fuit.

Ut ab initio, sic progressu temporis, Anglia in

iis, quae ad inoculationem spectant reliquas nationes superavit, quippe quae et inoculationis Institutum, ut vidimus crevit, et milites omnes terra marique bellantes, immo et uxores et filios inoculandos esse decrevit, et eruditissimum Mavshall Gibraltariae misit, qui felicissimo eventu suo munere functus est.

Ex iis quae diximus aperte declaratum est, inoculationem in Italia anno 1800 duxisse principium. Anno vero 1802 cum ii, qui publicam rem administrabant, luce clarius viderent, doctissimum Sacco in regionibus Tussani et Sexti, et in Civitate Bononiensi, hac tam celeberrima inventionem fatale, morbum suffocasse, ea omnia decreverunt, quae ad inoculationem propagandam, remotis periculis, utilia esse censuerunt.

Atque ut omnia se se haberent, pro ut humani generis salus postulabant, sapientissimo sane consilio factum est, ut idem Sacco de hac re optime meritus inoculationis generalis Rector statueretur. Sibi non defuit doctissimus Vir, quin potius cum ea quae inventa fuerant studio, observatione, et labore illustraret, brevi accidit, ut Borrussia, Batavia, Hetruria, aliaeque regiones, Italici Regni normas et instituta sedulo prosequerentur.

Quamvis vero multa in Regno Italico hac in re facta essent, multa adhuc peragenda supere-

rent, neque enim consentaneum erat, ut id quod tam salubriter ad humanitatem sublevandam inventum fuerat, otiose, ut ita dicam, consisteret, aut dissidentium levitate, et studio partium oblivioni daretur.

Melzi Reipublicae Italicae Provector, anno 1804, decrevit ea, quae ad inoculationem propagandam opportuniora videbantur. Hinc factum est, ut disciplinae quaedam, et ordo, et salutis regulae adhiberentur, ne alii Varioloso contagio affecti, morbum propagarent. Insuper statuit, inoculationem in civitatibus non solum, sed et in ruibus esse peragendam, plerisque demandavit invigilandi munus eo sane consilio, ne Variolae longius serperent ad necem. Anno 1805 accuratissimus Sacco triginta millia inoculatorum nomina conscripsit in Provinciis *Mincio*, *Adige*, *Basso-Po*, *Crostolo*, *Panaro*, cumque Italicum Regnum, Napoleone victore, latius cresceret, et Venetiis potiretur, idem Sacco inoculationem ibi quoque persuasit et jussit, et epidemiam, quae quotidie decem et etiam quindecim infirmorum morti mandabat, celeriter sustulit. Ita inoculatio, spatio octo annorum in universo Italiae Regno propagata, et certa methodo fuit instituta: ita inventis addere facile fuit, omnesque inter se gloriose certarunt, ut variolarum postem totis viribus averterent. Tandem Augustissimus Imperator Franciscus I, nuper omnium dolore perem-

ptus, summa sapientia sancivit ea omnia quae populorum saluti cognovit utiliora fore.

Ast dum pro tam felici inoculationis virtute laeti gratulabamur et spes affulserat Variolas prorsus abiisse, anno 1824—25. Londini coepit recrudescere, ut affirmat Medicus Gregory: illudque cernimus, Doctorem Stephanum Moro Nosocomii Majoris Mediolanensis in vere anni 1825 variolosorum curae destinatum fuisse; irrepserat enim fatalis morbus et regionibus septemtrionalibus in Longobardiam et Mediolani quoque nonnullos necabat.

Carolus Sacchi Nosocomii Triviliensis primus inter Chirurgicae Artis cultores, demonstrat annis 1829—30—31 varios variolarum casus eodem loco accidisse, ita tamen, ut totam ferme regionem immnnem fuisse possit affirmari. Anno vero 1832 dilabente, et initio anni 1833 tam cito variolarum pestis terram illam invasit ac penitus est diffusa, vim suam non remissura nisi mensibus octo circiter elapsis.

Longum esset tempora omnia enumerare, in quibus variolarum morbus iterum se se protulit. Satis erit dicere, variolas anno 1818 in variis terrae partibus disseminatas fuisse, ut observationibus constat: experientia quoque nos quotidie edocet grassari, et serpere latius hanc pestem, et nullam provinciam, nullam regionem, civitatem, et rus nullum esse quod hujusce morbi

furor et vis non contaminaverit. Nec juvat ab hoc contagio semel evasisse, subit iterum reddit-que virus, spesque concepta evanescit. Clinicus Illustris Vicentinus observationibus Thompson fretus, hoc ipse quoque probe novit, et nimium dolet Vanswietenii et Mead assertiones esse amendandas.

Quamvis vero comprobatum sit, eos omnes qui regulariter vaccini inoculationem subierunt, generatim loquendo, certo quodam tempore ab ejusdem inoculationis distantia, ut ita dicam, praescripto, infici ab exanthemate *Varioloide*, aut *Vajuolo modificato*, aut *Varicella:* quamvis, ut inoculator Sacco affirmat, apud complures opinionem increvisse, Variolas esse, exanthemata illa a Variolis longe reapse distant. Attamen longa observatione certiores facti sumus, quod si aliquis ab exanthemate *Varioloide* inficiatur, nisi statim omnis penitus communicatio interdicta sit, alios quoque simili contagio affici, et ab eo, quod primum, exanthema Varioloide erat, Variolas discretas, Variolas confluentes et graves et gravissimus breviter oriri, ea omnia secum gerentes quae Arabicis Variolis sunt communia. Illud tamen observandum, quod ii, qui regulariter fuerunt inoculati, a *Vajuolo modificato* foedari, ex quo nunquam mors sequitur.

Hisce expositis, inferendum ne est, Variolam Vaccinam decursu temporis vim pristinam per-

dedisse? et perennem ut generatim opinabatur? An vero est ne inoculatio remedium solummodo ad tempus? Et si ad tempus: potest ne, quibusdam adjunctis, ab Arabicis Variolis constanter praeservare? Antequam hoc certis quibusdam rationibus explanari possit, necesse est, observationes illas, quae Jennerianum inventum subsequutae sunt perscrutare, adnexas conditiones inspicere, ad effectum obtinendum, ut quae a praemissis consequantur cognoscere possimus.

Franciscus Fanzago, quem honoris causa nomino, cujus laus in hac praesertim civitate nunquam conticescet, cujus dignitate et sapientia, nisi adversa valetudo obstaret, nunc quoque frueremur, cujus nomen gratissimum erat Augustissimo Imperatori Francisco, qui sapientes probe noverat sapiens et ipse; idem, dicam, Fanzago in sua Dissertatione habita in Accademia Patavina anno 1801, *Sopra l'innesto del Vajuolo Vaccino*, clare et distincte opera omnia hac in re elaborata in examen vocavit eo ordine, perspicuitate, et ingenii acumine, quod profecto docebat Praeceptorem Medicae Artis doctissimum. In ea refert quod jam Jenner declaravit, id nempe, quod qui semel affectus fuisset a Variola Vaccina, a Variolis naturalibus secus non posset infici, nec per inoculationem. Hujusmodi tamen sententia a Thoma Bedoes contradicitur, qui ait, M. Jacob qui Bristol Patroni munere fungebatur,

adhuc infantem Variolam Vaccinam subjisse, et decem post annos Variolas infantilés acquisivisse per inoculationem. Idem Jenner similia enunciat, atque ad suam sententiam corroborandam, totus in eo est ut persuadeat, tam in Variolis naturalibus, quam in Vaccina, Variolam spuriam inesse, quod quidem quandoque usuvenit, non ita tamen ut de omnibus possit affirmari. Hinc sequitur, ab initio Jenneriani inventus, notum fuisse, Vaccini inoculationem non semper et absolute a Variolis naturalibus praeservare, ac proinde Vaccinae inoculationem ad tempus tantum utilem esse.

Fanzago in citata Dissertatione quaedam enumeravit a Georgio Pearson praeposita, Jennerianae sententiae propugnatore, quarum praecipua sunt: « chi ha sofferto una volta la febbre specifica, e la malattia locale, che trae origine dal Vajuolo Vaccino, e l'ha sofferta per la via naturale, se non ha mai avuto il Vajuolo Comune, si è con questo mezzo preservato per sempre: Chi, mediante l'innesto ha acquistata la febbre specifica, e la malattia locale, può andar sicuro di non esser più attaccato dal Vajuolo Comune: chi ha avuto il Vajuolo Vaccino, può nondimeno acquistarlo di nuovo: i sintomi locali dell'innesto del Vajuolo Vaccino presi generalmente sono più gravi, e più permanenti di quelli dell'innesto del Vajuolo in-

» fantile: all'opposto la febbre che accompagna
» il Vajuolo Vaccino non è mai seguita da sintomi pericolosi, e non ha mai cagionato la morte. Finalmente se il Vajuolo Vaccino eccita sointomi locali senza che ne nasca la » febbre, allora l'uomo non è garantito dal Vajuolo infantile.»

Accedit eodem Pearson affirmare multa a se proposita firmissimis carere experimentis, et Clarissimus Fanzago accuratissime commendat sedulo et diutius esse observandum priusquam ea quae a Pearson narrata sunt, admittantur.

Si ea quae quotidie eveniunt, paulisper voluminis considerare compertum erit, Vaccini inoculationem a Variolis non preservare, idque ex peculiaribus adjunctis confirmari. Equidem ai necesse est, ut febris specifica, quae magni a Pearson habita fuit inoculatos afficiat, ecquis vero hisce temporibus ab ea afficitur? Si Vaccinis inoculatio, quae solummodo excitat symptomata localia quin febris exoriatur, non praeservat a Variolis infantilibus, ecquis nunc ex inoculatis se tutum a Variolis poterit reputare? Iis quae Pearson statuit facilius adhaererem, si aliorum auctoritate fulcirentur: quamvis enim generatim desint conditiones eae, quae ab ipso praescribuntur, nemo tamen ex harum defficientia putat Variolas in inoculatis inveniri, et hinc hujusmodi ratio alio est repetenda.

Et primum dicam, quod in vulgo percrebuit quodque apud complures Medicos valet, *virum vaccinum* in multos permeando pristinam vim amisisse, et in inoculatis Variolarum epidemias frequenter reperiri: quibus hoc unum tantum opponam longo spatio eodem pure inoculationem peractam fuisse, quin in pustulis, caeterisque symptomatibus nihil quod juxta morem non fuerit, observatum sit.

Barey Besançon Medicus, qui usque ad 13560 hominum Vaccini gessit inoculationem, nullam unquam invenit varietatem, et Sacco de quo supra diximus usque ad annum 1833 variis temporibus firmiter asserit, nil diversum ab eo, quod anno 1800 observaverat, se unquam vidisse.

Cum citatis inoculatoribus alii quoque re et nomine praeclari aperte consentiunt, ex quibus luce clarius apparet, eamdem esse naturam ac vim *Vaccinae* quam nunc habemus, nec minime ab illa differre quae triginta abhinc annis adhibebatur: dummodo ea omnia, quae a sapientissimis inoculatoribus praescripta sunt, serventur.

Cum igitur Variolae in inoculatis nec a negligentia in conditionibus servandis, ut Pearson videtur, nec a miasmatis vaccini debilitate repetendae sint; quorsum fatalis morbi caussa originem ducere putamus? juvat ipsissima verba D. Joannis Grabner-Maraschin Vicentini in medium afferre ut videre est: Annali Universali di Medicina

fascicolo III. Marzo 1826, p. 597.—Cenni sul Vajuolo modificato. « La sopravenienza del Vajuolo naturale nei Vaccinati (il cui principio efficiente considero eguale a quello che produce il Vajuolo nei non Vaccinati, restando però temprata la sua violenza nei tocchi del contaggio Vaccino) veduta in varj angoli dell'Europa, e dell'America, anche poco tempo dopo la grande scoperta Jenneriana, unitamente alle predette osservazioni, mi conduce ad opinare, che l'antivajuolosa proprietà del pus Vaccino vada scemando in proporzione quasi diretta del progresso della vita, non per decomposizione del veleno vaccino, ma perchè alle molecole organiche di nuova formazione, si pel perfetto sviluppamento del fisico, che per riparare alle perdite giornaliere, non viene successivamente trasmesso dalle preesistenti particelle, con egual energia che queste possedono l'invulnerabilità pel contaggio del Vajuolo umano, la quale però ad onta della continua trasmissione che ne segue, non resta mai affievolita in guisa, che il veleno Arabo possa esercitare sul misto organico tutta la sua malefica potenza. »

« Gli innumerevoli sensibili cangiamenti, che accadono nell' economia animale dalla sua origine fino alla morte, cangiamenti, che a seconda delle epoche della vita dispongono

» l'uomo a particolari malattie, che in lui eccitano or questa or quella idiosincrasia, che » poscia in altra età o sparisce, o in altra trasmigra ec., credo che non si possano nè comprendere, nè spiegare, senonchè contemplandoli come un effetto di una particolare disposizione e proporzione dei principj componenti » le nuove particelle organiche, di cui viene » provveduta l'animale economia del sistema riproduttore, alle quali innoltre non vengono in » tutta la loro estensione comunicate le attitudini dalle molecole anteriori possedute. »

» Queste incontrastabili diverse fisiche mutazioni, non potendosi ripetere, che da certe » graduate modificazioni, che nascono nelle funzioni animali nel corso della vita, perchè non » si potrà pure tenere ragionevole, che nell'accennata maniera la macchina umana, un tempo » resa insuscettibile di contrarre il Vajuolo naturale coll'innesto Vaccino, in altro lo possa » contrarre? »

Si igitur juxta id, quod sentit Maraschinus Variolas naturales progressu temporis, et quibusdam spatiis intercaeptis inficere debet vaccinatos, consequena erit, experientia duce, ut aptius praesidium contra Variolas sit inoculationem repetere.

Hoc verum esse, citatus Grabner-Maraschinus cognovit in iis omnibus, qui decem post annos

iterum inoculationi vaccinae subjecerunt, quemadmodum e contrario nullum, vel fere nullius momenti effectum perspexit in iis, qui nondum decem annos compleverant.

Inoculationis repetitae beneficia satis probant experimenta et Stoncharem, et ea quae Mediolani patrata fuere: idem Sacchi dum Variolarum epidemia Trevilii grassaretur, iterum inoculatos numquam infecit, inque domibus ubi Variolae dominabantur inoculati incolumes evaserunt. Facultas Medica Friburgiensis anno 1833 declaravit, praesidium contra Variolas esse inoculationum repetere, cumque exitus probasset virtutem, publico jussu inoculatio repetita fuit in regionibus ubi Variolae diffundebantur, et Vaccinae vis praesertim in Borussis exercitibus comperta est. Tandem cum in aliquo Polycinensis Provinciae rure Vaccinae inoculatio iterata sit juxta methodum Chirurgi Vicentini, expectationi penitus respondit: ibique factum est, ut complures puellae variae aetatis, timore perculsae pulchritudinis amittendae, (sentiebant enim virginem cujusdam generis horrende faedatam) se iterum inoculationi subjicerent, et veritatem novo experimento comprobarent.

Experientia igitur, et doctissimorum hominum auctoritate suffultus, ad inoculatorum tutamen, inoculationem iterandam esse audeo affirmare, ea spe et desiderio, ut Arabica pestis evanescat,

ut Medicina ditissimo inventu plenius glorietur, ut Jennerii nomen novis celebretur laudibus, et quod optatissimum tandem est, ut humanum genus tantorum malorum varietate vexatus, in vi inoculationis, quasi tuto io litore conquiescat.

174.

THESES DEFENDENDAE

I.

Methodus Mülleriana unguentum Autenriethi capiti vesanorum infricandi periculosa, parum utilitatis praestat.

II.

Potulenta copiosa ad profligandum hydropem aptiora, quam restricta eorum quantitas.

III.

Opii virtutem illi spirituosorum summe affinem esse nego.

IV.

Tartarus stibiatus, largiori dosi in pneumoniis remedium heroicum.

V.

Delirium tremens differt ab encephalitide.

VI.

Remedia specifica in plica polonica medicina ignorat.

VII.

Haemorrhagiae saepe sunt morbi evolutionis.

VIII.

Dispositio ad Variolas existit in utero materno.

IX.

Variola nec aetati, nec temperamento parcit.

X.

Variola quamquam una vice corripuerit aliquem, denuo in ipsomet potest evolvi.

XI.

Inter tot remedia proposita ad praecavendam variolam, inoculationem repetere unicum judico.

XII.

Miliaris omnes respuit exhantematum leges.

XIII.

Summa est differentia inter roborantium et stimulantium actionem.